

atque nudos, forma, genere, divitiis, aliisque ad corpus pertinentibus spoliatos, omnique prorsus auxilio, suffragio, & advocacy caren-tes fisti iussit coram iudicibus, qui & ipsi nudi essent & mortui; fili-
is nimirum Jovis, Æaco ex Europa, qui Europæorum iudex esset; Rhadamantho ex Asia, qui Asianorum; summo arbitro Minoë; quibus addunt quidam Triptoleum; ad eos in campum veritatis deduci animas corpore solutas à Dæmone, illorum statim ab ortu cu-
stodiæ præfecto; ex ejus testificatione ferri sententiam; pias probas-
que ad dextram mitti in superiorem cæli regionem, pravas & impias ad sinistram in inferiorem locum. Criminum porro & benefactorum disquisitionem fieri dicebant Græci ex tabulis & membranis Jovis, quæ abierunt in adagium, perinde ut tabulæ Harmoniæ. Harum om-
nium origo est in libris illis Danieli & Johanni memoratis, ex quo-
rum fide dijudicandi sunt mortui. Suas habuit & Nemesis tabellas ex eadem origine. Et libros illos rerum ab hominibus gestarum indices, ab Angelis descriptos, norunt exoticæ gentes ad ortum sitæ. Nemesis munus fuit vagari per orbem, hominum gesta cognoscere, describere, & pro meritis excipere. Saturno autem sortem Nemesis deputabant veteres Astrologi, ac propterea ab Ægyptiis sidus Nemesis appellatur, ut alibi notavimus. Huic autem, quod æquitate fuerit valde com-
mendatus, adscribitur imum cæli, quæ domus est mediæ noctis, ordi-
ne quarta, potestate præcipue pollens inquirendi in hominum facta, eosque ex virtutibus vel noxis exornandi aut puniendi. Porro Pan-
sæpe confunditur cum Saturno, cui adjungitur, & Nemesi, à Macro-
bio; idemque terras noctu fingitur obambulare. Habet & Dæmones humanorum operum inspectores Stoica Philosophia, Platonice furculus. Officium id sideribus delegat Plautus, Arcturumque inducit dicentem
selucere quidem in cælo per noctem, de die vero cum cæteris stellis terras
peragrare, hominum notare & describere mores atque facta, & ad Jovem
referre. Manarunt ista ex *Negotio perambulante in tenebris*, cujus extat in Psalmis mentio. Platoni sua secta consensit Jamblichus in primis, qui Platonice Pythagoricamque exponit doctrinam de iudicio & pur-
gatione animarum corpore solutarum. Inductus enim in ea fuit Plato à Pythagora; cum quo etsi convenit in multis, dissentit tamen in non-
nullis, uti à vetustioribus Philosophis uterque, quemadmodum scire licet ex Jamblichio. Pythagoras autem inferna iudicia, quidquid contradi-
cat Ovidius, auditoribus suis intentabat. Et Hierocles, quem Pythagor-
icum

G g ij

ricum

fato.

Dan. 7. 10.

Apoc. 20. 12.

Animadv. in

Manil. l. 2.

P. 33.

Macro. Sa-

turn. l. 1.

c. 22.

Plaut. Ru-

dent. Pro-

log.

Pf. 90, 6.

Jamblich. de

anima apud

Stob. Eclog.

Phys. l. 1.

Jamblich.

ibid. Ovid.

Metam. l. 15.

Hierocles. de

provid. &

fato.